33

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE PRINCIPALIORIBUS LITERATORUM AFFECTIBUS,

QUAM

DEO T. O. DUCE ET AUSPICE,

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JURID. FACULT. ASSESSORE, AC PROFESS. COD. PUBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICO AC CONSULE,

AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE IN HAC PER-ANTIQUA HIERANA GRATIOSE INDULGENTE,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. IVONIS JOANNIS STAHLII,

EMINENTISS. ET SERENISS. ELECT. MOG. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. PROFESS. PUBL. FACULT. MED. ASSESS. ORD. N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSUL.

PATRONI AC PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,

PRO GRADU DOCTORALI

UNA CUM ANNEXIS SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDO,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUTOR ET RESPONDENS,

GEORGIUS MELCHIOR STRAHL,

Erfordiensis.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSUETIS.

DIE I. DECEMBRIS A. R. S. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



PROŒMIVM.



Vilibet utique, cui modo libuerit corporis noſtri Machinam paulò attentius conſiderare & accuratius eximinare, haud difficulter deprehendere poterit, quàm delicatam partium conſtitutivarum corporis conglutinationem circumferamus, & quàm lubricam oſſium in articulis unitorum ſtructuram exhibeamus, quàm gravem humorum ac viſcerum, corruptioni obnoxiorum, molem foveamus, ut propterea ſtatuæ Nabuchodonoſoris non admodum abſimiles appareamus, ſi nempe externam corporis pulchritudinem ejusque artificioſiſſimam & ſplendidiſſimam ſtructuram ſpectaveris,

veris, hujusque ſimul admodum fragile & labile fundamentum terreumque fulcimentum conſideraveris. Interim verum quidem eſt, quod, quamdiu legibus Naturæ conformes vivimus, nec in aliquantulâ etiam ejus parte vel defectum, vel exceſſum patimur, tamdiu vigore vegeto Oeconomiæ vitalis gaudeamus; aſt, quamprimum etiam minutiſſimum ex ſex rebus Non-naturalibus periculum ſuſtinemus, tunc ſtatim in poſſeſſione optimæ ſanitatis turbamur, cum ex his, tanquam cauſis frequentiſſimis, etiam numeroſiſſimos morboſos in corpore noſtro effectus profluere manifeſtum ſit, quapropter etiam non incongruè GALENVS ejusque ſequaces, SENNERTVS, MOEBIVS, FERNELIVS, ARGENTERIVS, aliique non pauci, *morborum fontes* haſce res Non-naturales appellant: ſive enim vitæ ſubjectum, ſive materiam ejus conſervativam ſpectes, usque quoque verificabitur trita quidem, ſed & veriſſima Parœmia:

Ex quibus vivimus, ex illis etiam ægrotamus.

Sanè fragilitas hæc noſtra admiranda eſt, quoniam levi ſolius ſæpè aëris impetu vel maligno afflatu corruit, ſicque ſanitatis & vitæ jacturam

facil-

facillimè subimus, si modo ad exiguum velut lapidem quoad Diætam offendimus. Inter cæteros autem his casibus expositos, plures *Literatorum* deprehendimus, de quibus etiam in præsentiarum differere lubet, & quidem illis præcipuè, qui immoderato discendi studio exardescentes, non secus ac bombyces se planè exenterantes, subitò morbos gravissimos, languores & debilitates innumerabiles sibi adsciscunt, ut mirum non sit, quamplurimos eorum in præmatura funera desinere & velut flores diarios vix progerminantes marcescere, cujus causam nemini, nisi sibi solis adscribere possunt, quoniam, si certo cum moderamine laborisque discretione Naturæ uterentur ministerio, in seram non rarò senectam lucis hujus haberent usuram.

Hanc igitur ob causam placuit mihi, indultu Gratiosæ Facultatis Medicæ, pro Themate Dissertationis Inauguralis, *morbos*, seu *affectus literatorum* præcipuos, una cum causis eorundem breviter exponere & insimul optimam, ut spero, curandi & præservandi methodum annectere, nullatenus dubitans, quin Lector be-

nevolus (qui fortè penitiùs rem inſpicere poteſt,) mihi ignoſcat, ſi præter opinionem quicquam vel defecerit, vel minus exactè explicatum fuerit. De reliquo eâ quâ poſſum humilitate, Deum Ter Optimum Maximum veneror & oro, ut conatibus meis benignè aſſiſtere & ex qualicunque hac opellâ boni communio fructum aliqualem demum largiri dignetur.

CAPUT I.

De generaliori morborum Literatis obvenientium causâ, Aëre.

§. I.

PErſcrutaturus varios Literatorum affectus, neſcio, in quàm immenſum propè labyrinthum abduci videar, cujus, ſi omnes flexus, reflexus, circumflexus, & anfractus non dicam permeare, ſed perluſtrare tantum accuratiori mentis obtutu ſtatuerem, non immeritò illud Poetæ mihi occineretur, quô canit:

Sol prius oppoſitas perfundet lumine terras!

Quis enim neſcit, in GALENI ſcholis vel leviſſimè eruditus, quod, ſicut millevariæ Literatorum ſunt occupationes, ita & tantivariæ affectiones in animo naſcantur, adeoque & Argum dixero, qui omnes prævidere ſe poſſe jactitaverit, & GALENO verſatiorem, qui ſalutaribus hinc inde medicamentis obviaverit. Quoad propoſitum tamen, ut non tam eruditorum, quàm diſcentium inten-

intentioni ſatisfaciam, id unum ſufficiat, ſi de erroribus, vitæ ſanitatisque negotio inſidiantibus & periculum quandoque non leve inducentibus, Naturæ moventis & agentis ordinem interturbantibus ac confundentibus, paulò enucleatiùs diſſeruero.

§. II.

Quemadmodum ergo rerum omnium, etiam optimarum abuſus, nocivus & reprehendendus, ita & de ſtudiis verum eſt illud: *Ne quid nimis;* vel, ut alii rectè affirmant:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quam multa enim eaque graviſſima Literatis attraxerit mala, in ſeram usque noctem protracta lucubratio, abundans teſtis eſt experientia, debilitantur nempe vires tam Animæ quam corporis, & quidem in tantum, ut ſœpè ſœpius malum omnem Medicorum curam & ſolertiam eludat, ipſeque Literatus, qui per ſtudia felicitatem & gloriam aſſequi voluit, miſerrimus & infelicisſimus omnium, deperditâ ſanitate, quæ optimum ſanè donum eſt, evadat, inſuperque præmaturâ morte, eo tempore, quo rectè demum vivere incipit, abripiatur. Rempnblicam ergo lædit atque defraudat, quoniam nemo ſibi tantum, ſed & Patriæ vivit, præſertim vero ii, quos Deus egregiis Naturæ donis atque talentis inſtruxit. Adeoque inexcuſabile ſanè vitium eſt eorum, qui nimium in ſtudiis excedunt atque vires ſuas debachantur, nec eſt quod culpam Naturæ adſcribere velint, in Naturam injurii, utpote quæ ſufficientibus donata viribus prudentem ſolum requirit Oeconomum,

qui

qui, perſpectâ bene cognitâque talentorum quantitate & qualitate vitam ſuam inſtituere debet, ne unquam vel in exceſſu, vel in defectu peccet.

§. III.

Quanquam autem reſpectu *aëris* vix ac ne vix quidem ſingularibus & ſpecialioribus quibusdam morbis obruantur & ſubjiciantur literati, cùm, quotquot etiam ab illo producuntur & excitantur affectus, ſingulis ferè aliis cujuscunque generis & conditionis hominibus ſimul quoque ſolennes atque communes ſint, ob uſum elementi hujus univerſalem & omnibus indiſcretim familiarem, adeoque hujus intuitu nullum, literatis tantum proprium morbum, denominare & abinde derivare queamus, niſi forſitan *Pallorem*, iis præcipuè admodum ſolennem, qui nimium quantum ſtudiis incumbunt, omne externi aëris liberioris commercium penitus ferè fugiunt, & Muſea humidiora, craſſiori nonniſi imò impuriori magis aëre repleta ſibi ſeligunt, huc referre velimus, licet ille magis ſymptomatis, quàm palmarii & principalioris cujusdam affectus vices ſubeat; attamen non injuſtè nos facturos arbitramur, ſi ab omnibus illis morborum generibus, quæ aliàs ſuam aëri præcipuè debent originem, literatos & facilius & gravius affligi afferamus, quoniam hi ipſi, dum ferè continuò ſub uno eodemque aëris gradu verſantur, neceſſario inſigniores ejus mutationes tantò ægrius perferunt & majores abinde noxas plerumque concipiunt, idque tantò certius, ſi diutius ſub iisdem commorari coguntur, aut ſponte etiam aërem noxiâ & perniciosâ qualitate

tate

tate gaudentem ſibi eligunt, vitamque ex merâ interdum negligentiá ſub eodem tranſigunt.

§. IV.

Cum autem omnes & ſinguli ab aëre primariò dependentes *morbi* ſpeciatim qualitates ejus, tàm activas, quàm paſſivas, nimium quantum alteratas pro fonte & fundamento ſuo agnoſcant, paucis ad minimum jàm demonſtrandum erit, qualia potiſſimùm incommoda atque pathemata Aër ita intemperatus producere queat. Nimium igitur *æſtuoſus* & temperati limites plus juſtò excedens, calorem blandum naturalem diſſolvendo, humiditates laudabiles abſumendo, partes omnes debilitat, exſiccat, ſitim extraordinariam infert, vires infringit, digeſtionem impedit, & turbat, totamque maſſam humorum colliquando & irregulariter commovendo, variorum morborum, maximè congeſtoriorum, oppletoriorum & orgaſticorum originem præbet. Nec minoris noxæ eſt *aër frigidior*, tam per inſpirationem adveniens, quàm externos corporis limites ambiens, quippe qui humores incraſſat, calorem naturalem debilitat, tranſpirationem inſenſibilem turbat, ſicque impuritates accumulat excrementitias atque in ſtagnatorios cachecticos, atque cacochymicos affectus plerumque tandem ſubjecta illa præcipitat, ſpeciatim autem per nares ad cerebrum migrans, varia defluxionum catarrhalium genera excitat, fauces potentius intrans, Anginas & uvulæ tumores ac inflammationes inducit; in aures irruens earundem ſibilum & tinnitum producit, incraſſando nimirum humores ibidem hoſpitantes, in oculis lippitudinem pro-

 ducit;

ducit; pectus penetrans tusses siccas, valdopere molestas & pertinaces, provocat, in intestinis diarrhœas & flatulentias; in manibus autem & pedibus varios dolores ac tumores, pro humorum ibidem transeuntium & inspissatorum varietate inducit. Justo *humidior* porro, corpora præter modum relaxando & humectando, torporem inducit, ingenii gravitatem & stupiditatem parit, vehementes oculorum defluxiones & catarrhos concitat, aliaque plura pathemata ab HIPPOCRATE *Sect. III. Aph. 16.* & GALENO *in Comment. Hippocratis Aphor. 11. Sect. III.* recensita provocat. Nimium *siccus* denique corpora densat & exsiccat & excretiones ordinarias impedit & turbat, inflammationes, Ophthalmias, articulorum dolores, Urinæ & intestinorum difficultates & hujus censûs plura teste HIPPOCRATE *l. c.* adfert.

CAPUT II.

De Morbis literatorum ex Cibo & Potu.

§. I.

HAbitis circa aërem cogitationibus reflexis, *cibum* examinemus & *potum:* Verum est, quemadmodum pabulum igni, oleum lampadi omnino adjici & affundi debet, ita & cibum cum potu corpori subministrari necesse est; sed, etsi cibus & potus ad corpus alendum, solidorum structuram conservandam, fluidorum absumptionem reparandam, sanitatem in-

stau-

ſtaurandam & ad vitam prolongandam omnino ſint requiſita neceſſaria, tamen ad corpus prægravandum, ſanitatem corrumpendam & infirmitatem contrahendam, quàm plurimum eadem contribuere, quis negabit! Sicut enim ex alimentis Chyli & ſanguinis deſumitur materia conſtitutiva, ita ſecundum humorum indolem, Craſis ſimiliter eorundem dimetienda venit. Hinc ponamus ventriculum eſſe omnino nauſeabundum, quid tali caſu putares deliciarum afferre Sybariticas menſas, dapesque lautiſſimas? quis in his poſitus circumſtantiis non præoptaret rerum omnium premi indigentiâ optimamque corporis diatheſin poſſidere, quam Arabicorum affluentiâ Theſaurorum locupletari & variis è contrario divexari languoribus? Verè me herculè Poëta Venuſinus cecinit:

Si ventri benè, ſi lateri, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus!

Hac in parte Archi-Magirum agere tam impoſſibile videtur, quam arduum & difficilè omnes ſub eodem appetitu, eodem guſtu, eodem abundantiæ luxu velle conſtituere, quis hujus loci cibos aut potus ſalubres vel nocivos definiat? probet autem ſe ipſum, qui ſanitatem magno numerat in pretio; hoc in confeſſo eſt, cibum ſimpliciſſimum & temperatiſſimum conſervandæ & promovendæ ſanitati eſſe utiliſſimum, ſicut è contrà cibum nimis variatum & delicatiſſimum morbiferarum qualitatum eſſe feraciſſimum. Benè admodum dixit CELSUS *lib. 2. Cap. 18.* ut & HIPPOCRATES *Aphor. 9. Sect. 1. optimæ non tantum valetudinis, ſed & omnium morborum communia eſſe præſidia, cibum &*

 potum.

potum. A quibus non abludit HORATIVS *lib.* 2. *Satyr.*

- - - - - - - variæ res
Ut noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, ac ſimul aſtris
Miſcueris elixa ſimul Conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
lenta feret pituita.

Ejusdem ſententiæ fertur PLATO *lib.* 3. *de Repub.* dicens, *ex ciborum varietate varios naſci morbos;* cui accedit PLINIVS *lib.* 2. *Cap.* 5. *homini cibus utiliſſimus ſimplex, acerbatio ſaporum peſtifera & condimenta perniciosa.* Victus fuero, niſi hujus rei tabulas & teſtes produxero; hinc retrogrediatur mecum aliquis, ſi quid habet, ad Majorum noſtrorum longævitatem, multorum centenorum annorum decurſu glorioſam; ſed unde hanc, niſi â ſimplici victu defluxiſſe crediderim? Ad antiquiſſimos hic provoco Medicos, in eo exactiſſime mihi conſentientes. Sed ne in longinquum diſcurramus, agreſtes illos ſimplicesque ruſticos compellemus, unde ſuæ derivent ſanitatis & grandævitatis ſeriem? & non niſi â ſimplicitate cibi idem ſibi â Deo indulgeri confitebuntur.

§. II.

Quoniam itaque patet & in confeſſo eſt, ex his multos oriri morbos, de quibus omnibus tamen diſſerere nimis longum eſſet; hinc principaliores ſaltem afferre lubet, ſuntque *Evpepſia, Dyſpepſia, Febres quartanæ, tertianæ*, ex quibus ſaltem ad ultimam hanc ſpeciem paulo fuſius explanandam, cum hæc febris per-

quam

quam frequens esse deprehendatur, progredior. *Febris tertiana* autem est *species febrium intermittentium, post tertiam diem cum horrore & succedente æstu recurrens, quibus motibus febrilibus principium vitale noxiam aliquam materiam, in primis viis utplurimum hærentem, præparare & evacuare intendit.* Ante omnia vero benè discernenda est febris *tertiana legitima* â *spuriâ*, seu *subcontinuâ*, quæ ut plurimum frigus lenius, æstum vero vehementiorem & diuturniorem, nec non insimul symptomata alia quædam insolita, adfert, post paroxysmos etiam languorem, lassitudinem artuum, capitis gravitatem vertiginosam, siticulositatem, somni inquietudinem, inappetentiam, graviora & jugiter perseverantia post se relinquit. Porro distinguenda etiam est â *Febribus illis acutis* præcipuè, quæ typum tertianarium simulant, quando in tempus vernum & in corpus circa primas vias impurum incidunt: hæ enim notabilem continuitatis habent malignitatem & non rarò petechiales maculas, purpuram & alia exanthemata inducunt.

§. III.

Breviter ergo explicatâ differentiâ devolvimur ad *signa pathognomonica*, quibus affectus noster dignoscitur, quæ antea sunt evolvenda & recensenda, quam ad subjecta, causas, prognosin ipsamque curam progrediamur. Hinc optimè CELSUS. *Præfat. lib. 1. pag. 13.* monet: *Cujus rei non est certa cognitio, ejus opinio certum reperire remedium non potest*; Varia autem ac varii generis prostant signa, quibus hæc febris dignoscitur; invadit enim singulis paroxysmis subjecta ante meri-

dianis horis, nonâ circiter hora circa tempus jentaculi & quidem iis, qui jentare consueverunt; qui autem huic adsueti non sunt, ab horâ decimâ, ad duodecimam usque ordinariè in paroxysmo corripiuntur. Præludit hic paroxysmus tensionibus artuum, ad oscitationem, pandiculationem, gravitatem crurum & brachiorum tendentibus; proximè vero paroxysmum præcedit totius corporis extenuatio, ut subito quasi tabidi appareant, de qua Germani dicunt: Er sehe übel aus, gantz kräncklich, verfallen, es sey ihm gewiß nicht wohl, man sehe es ihm an &c. Incipit demum horridulo sensu in lumbis, qui magis magisque per dorsum, versus scrobiculum cordis, ascendit, & in reliquum corpus se diffundit, ubi insuper quoque stricturas circa hypochondria percipiunt. Sub hoc frigore autem sequentes circumstantiæ potissimum observantur: Gracilescit vultus & manuum digiti; refrigescunt simul primo nares, aures & digitorum apices, in quibus imprimis sese offert unguium talis ab extremitatibus pallor & in radicibus livor, quasi in extremitatibus compressi essent; succedit demum præcordiorum anxia & nauseabunda angustia, quæ sub exitum frigoris horridi mox in actualem vomitum transit, per quem modo tenax, modo mucosa materia, modo biliosa saburra, modo cibi adhuc indigesti rejiciuntur; in quibusdam fortes tantum vomendi conatus obtingunt, sine notabili excretione, vel loco vomitus diarrhœa sequitur & quidem communiter in ætate magis provectiore & corpore magis phlegmatico; hæc symptomata, quando per unam alteramvè horam duraverunt, frigori remittenti succedit im-

immediatè flaccida fatigatio & languor corporis universalis, præcipuè verò artuum, cum molesto sensu contusionis, als wann an ihnen alles zerschlagen wäre; illi, in quibus diutius durat nausea, hoc incommodum non sentiunt, propter reliquam internam anxietatem, tandem fit inde transitus ad æstum, cum dolore capitis æstuante, tensorio, pulsatili, adest quoque inquietudo permagna, perpetua loci & situs mutatio, pulsus, qui sub frigore tardus, rarus, oppressus atque parvus erat, fit celer, frequens, plenus atque magnus, comparentque iterum simul vasa non solum sanguifera, sed & exturgescunt sensim atque distenduntur; hæc comitantur sitis & siccitas, quibusdam oris amarities; aliis cardialgiæ occurrunt. Mitescente autem æstûs impetu mador quidam, seu lenis sudor, non tam affatim & copiosè æque diffluens, quàm leniter manans, communiter tamen utique non nude halituosus, sed omni modo fluidus, erumpere observatur, non quidem prioribus, benè tamen sequentibus paroxysmis. Totus paroxysmus vix intra sex horas decurrit, familiarius ad octo durat; repetuntur verò hæc omnia alternis diebus, ita ut ad minimum intervallum 24. horarum intercedere soleat, communiter stato tempore & horâ, nonnunquam verò anticipiando, aut postponendo recurrunt.

§. IV.

Traditis nunc signis ad historiam febris hujus spectantibus, ordinis & instituti ratio postulat, ut ad enumerationem *subjectorum* & *causarum* progrediar & genuinam illarum originem secundum fundamenta pathologica nunc eruere annitar; Occupat autem magis

juve-

juvenilem & virilem ætatem, masculini præcipuè sexûs, & quidem tempore verno; hinc jam ad febris tertianæ causalem explicationem medico usui accommodatam progredior. Contribuunt ergo huc diætæ irregularitates, non quidem longo temporis spatio commissæ, sed quasi uno errore peractæ, quando videlicet ingesta fuerunt alimenta spissa, viscida, lenta, mucida, aut semi-concocta, ut plurimùm in primis viis hærentia, & quæ difficulter concoqui possunt, atque ad mucum tenacem generandum idonea existunt, uti sunt fumo indurata, pisces crassiores & crudiores, caro dura suilla, ostreæ, cochleæ &c. sic & ad hujus febris causas occasionales provocandas quadrat etiam iracundia commissa & suppressa, aut quando commotiones animi vehementes ante, sub, vel post pastum accedunt, ut propterea ex hâc causâ orta tertiana de *biliosâ indole* participet: demum pro tali causa etiam vitæ genus sedentarium, otiosum ac refrigeratio in regione abdominis, præcipue circâ tempus, quo cibus absumptus est, agnoscitur, quoniam hâc ratione concoctio impeditur. Interim reliquas ordinarias hujus febris causas hic loci minimè excludo, quoniam illæ ad nauseam ferè cognitæ sunt, hinc lubens nunc specialiori harum recensione supersedeo.

§. V.

Perspectis causis aliisque circumstantiis jam *de Prognosi* ipsâ aliqua dicenda restant. Si nempe medicationes incongruæ non admittantur, febris tertiana legitima toto genere salutaris est, imo post hujus febris legitimum decursum patientes non solum priorem, sed & firmiorem recuperare sanitatem, per experientiam

satis

ſatis jam liquet; ubi vero per medicamenta calida ſudor, præcipuè ſub æſtu vehemente, immodeſtè concitatus ac notabiliter exacerbatus obſervatur, patientes ſenſibiliſſimè debilitantur, & continuas tabidas ſudationes, imò febres acutas viſcerum inflammatorias incurrere ſolent, & hoc tantò certiùs, quò magis temperamentum ſanguineum vel cholericum, ætas junior & diæta vinoſa concurrunt: nihil enim legitimum hujus febris decurſum tam ſenſibiliter turbare poteſt, quam inſignis plethora, quæ, ſi concurrit, omnia ſymptomata exaſperat, præcipuè æſtum infert graviorem & ſudoris ſpontanei eruptionem multum impedit. Quando autem per adſtringentia præmaturè ſupprimitur, tunc non modo certiùs & citiùs ſuſpectas & periculoſas recidivas ſubit, ſed & pertinaces alvi obſtructiones, vel denique Cachexiam, vel Scorbutum, vel Hecticam, vel Hydropem, ſimileſque contumaces morbidas conſecutiones poſt ſe relinquit, id quod ſœpiſſimè etiam accidit, ſi nimis diu tolerata & habitualis jam jam reddita fuerit, quippe quæ tandem, niſi convenienter removeatur, in ſimiles funeſtos affectus deſinit.

§. VI.

Declaratis nunc & commendatis omnibus pathologicis hujus febris explicationibus, in quantum illud pro virium imbecillitate licuit, ultimum adhuc ſupereſt, ut nimirum ad *Therapevticam*, ſeu *practicam commendationem* accedamus eamque pari induſtriâ adhuc exponamus. Sunt autem remedia ferè innumera & tam diverſa, ut dubitare non immerito quis poſſit, quibus

præcipuè in tali ſtatu ſit utendum; alia enim, ſi ſaporem advertas, acria, amara, plus minus nauſeoſa, alia vero inſipida, aut non adeo ingrata, aut magis etiam jucunda & dulcia exiſtunt, ita, ut pro ſubjectorum & circumſtantiarum varietate, convenienti ſelectu inter illas opus ſit, inſimul quoque non alia, quam quæ ad obtinendas & exequendas neceſſarias indicationes faciunt, præ reliquis eligantur.

§. VII.

Optima igitur tertianam tractandi methodus eſt, ut præmittatur præparatio materiæ in ventriculo hærentis, quæ inſimul quoque ab ipsâ Naturâ intenditur & adjuvatur; hinc unâ alterâve horâ ante paroxyſmum digeſtiva dentur, inter quæ Tartarus vitriolatus, Cremor. ♀i, Arcanum duplicatum, ⊕um ♁iatum, cum abſorbentibus maritata, egregium exſerunt effectum, & omnibus aliis artificiis, modo moderatis, proportionatis doſibus dentur, præferenda ſunt; dein ad materiæ febrilis præparationem diæteticam nihil magis confert, quam ſub paroxysmo uſus potulentorum tepidorum, aut calidorum ſufficiens, quò Infuſa domeſtica theeformia referuntur: frigidus enim potus magis præſentes inſpiſſat viſciditates. Conferunt etiam, tanquam ſalutare adminiculum, juſcula liquidiora, non tamen mucilaginoſa, ubi vero æſtus & ſitis vehementius urgent, pro ſanguineis potus ſit leviter acidulatus, pro cholericis autem & melancholicis nitro temperatus, & hæc diluentia, præcipuè extra & ante paroxyſmum adhibita, egregiam promittunt utilitatem.

§. VIII.

§. VIII.

Quod evacuationem *diaphoreticam* attinet, ſingulari attentione ea quoque obſervanda eſt: miteſcente enim æſtu, vel ſolo regimine, vel medicamentis etiam, prudenter & moderatè adhibitis, eo dirigenda eſt Natura, ut per ſudorem proportionatum, qui nempe magnitudini æſtus prægreſſi reſpondeat, exitum inveniat; & hic quidem per moderatam doſin Eſſ. Alexiph. Stahl. ad gtt. xxx. promovetur, ſubjuncto placido regimine, quoniam ſine hoc magis noxia certiſſimè incommoda, quam commoda ſubſequentur; ſit tamen regimen non tam nimis calidum, quam potius quietum, cavendo etiam, ne mox inde patiens ſurgat & liberè circumeat, nedum frigore abutatur. Die intermedio hæc Eſſentia & pulveres digeſtivo-abſorbentes continuentur, hoc tamen diſcrimine, ſi major fuerit exæſtuatio febrilis, crebrius, ſed refractâ magis doſi, propinanda eſt Eſſ. Alexiph. ne motus in febrem lentam & hecticam degenerent; ſi vero æſtus minor ſit, digeſtiva crebrius quam alexipharmaca ſunt exhibenda. Eodem etiam die vacuo, niſi febris langueſcere & in longum tempus durare ſoleat, commodè & fructuosè promovenda erit repurgatio tum ventriculi, tum connexarum primarum viarum: quo caſu Pilulæ Becherianæ vel Stahlianæ, cum Extracto Panchymag. Croll. pro re natâ conjunctæ, laudantur, optimè etiam Pulv. laxat. veget. Wed. vel ⊖ Angl. conducunt. Item, pro ſubjectis nauſeoſis decoctum aliquod, ex reſolventibus & laxantibus remediis paratum, convenit, in quem finem conducunt Radic. Ta-

raxac. Scorzon. Cichor. Bardan. Helen. Hb. C. B. Scord. Abſynth. Fumar. Capill. ♀is Centaur. min. Radic. Helleb. nigr. Rhabarb. Fol. Sennæ & ſimilia. Præſtant etiam uſum quam optimum ſtomachico-carminativa, eodem die vacuo verſus paſtum propinanda, ad tonum primarum viarum reſtaurandum, e. g. Eſſ. Gentian. rubr. Abſynth. comp. TRa ♂tis aperitiv. Ludov. item Eſſ. Galang. Cortic. Citri ⊖rantior. &c. Quodſi autem poſt uſum horum omnium remediorum atque peractam ſufficientem materiæ evacuationem ac repurgationem, motus iſti febriles nihilominus pertinaciter perſeverent, tunc licet ad ſecura febrifuga properare, ubi præ aliis laudantur Crocus ♂tis ♁iat. Stahl. ad gr. vj. vel viij. miſcendus cum ♀i ⊕lati gr. xv. vel. ℞. ♀i ⊕lati amari. ⊕i ♁ati ana ℈i. Cortic. Chinæ Chin. gr. xv. Radic. Gentian. rubr. pulveriſat. gr. ℈ß. M. div. in 2. p. æ. S. Fieber-Pulver, davon eins 4. Stunden, das andere 2. Stunden vor dem Paroxyſmo zu nehmen. Reliqua, quia jam jam ſufficienter cognita ſunt, lubens nunc omitto & unicum ſaltem hoc pro ingenii modulo commendo, ut poſt illorum uſum & febris ceſſationem Alexipharmaca, digeſtiva atque ſtomachica continuentur, tandemque laxatio moderata adhuc ſemel vel bis repetatur.

CAPUT III.

De Morbis Literatorum ex Motu & Quiete.

§. I.

EQuidem ſupremus rerum omnium moderator, Deus, Naturam debitis viribus exactè inſtruxit, ita tamen

ut ſine reliquorum mediorum adminiculo in ſtatu naturali (maximè quod ſanitatem concernit,) minimè posſit corpus ſalvum & ſanum conſervare: Quis ergo negabit corporis motionem itidem neceſſariò requiri,. ut Natura ſecernenda ſecernat, & colligenda colligat, cum ex eorum regulari aut irregulari ſucceſſu, vel ingens corpori emolumentum, vel damnum enaſci ſit neceſſe: nulla enim hora eſt, quâ ſordes & excrementitiæ partes in nobis non generantur, poſito autem, quod hæ per loca ordinaria nec ſe- nec excernantur, numquid in immenſum cumularentur, ita, ut corpus mole ſuâ opprimeretur. Motus ergo omnino, tanquam neceſſaria noſtra cooperatio, requiritur, quo fiat, ut nimia ſanguinis quantitas diſtrahatur, organa in perpetuâ flexilitate conſerventur, prompta ac facilis humorum per eadem transmiſſio & diſtributio procuretur & per conſequens ſordibus ſanguini innatantibus, partibusque poroſis inhærentibus, per continuam attenuationem abſtergendis, via opportuna monſtretur; quæ ipſiſſima via & ſanitatem conſervare vitamque inſtaurare potis eſt, prout bene concordat Brocardicum illud:

Robuſtus foſſor rege eſt felicior ægro.

Sicut & illud GALENUS *de tuendâ ſanitate lib.* 2. his verbis teſtatur: *Sanitatis tutela â labore eſt auſpicanda;* nec abinde Venerandus noſter abludit HIPPOCRATES *lib.* 1. *de Victûs ratione Sect.* 4. ita ſcribens: *Qui comedit, niſi etiam utatur laboribus, ſive motu, ſanus eſſe non poteſt.* Hâc ratione vel maximè Literatis conſulerim varias corporis diverſiones, ambulationes, equitationes, vectiones, & ſi quæ alia corporalia exercitia, non immodica aut

 vio-

violenta, excogitari possunt; hinc enim fiet, ut habito motu alacriori, humores per assiduam quietem lentescentes ad secretionem leniter disponantur, attenuentur, fluidificentur, excretoriè depurentur, imò ut, docente PLINIO *lib. 1. Epist. 2. animus ipse motu & agitatione nervearum, ac fibrosarum Corporis partium excitetur, ad ardua facilius & felicius peragenda.* E contrario experientia rerum omnium Magistra luculenter docet, continuam Corporis quietem plurimarum parentem esse ægritudinum: quid enim tali ratione deficiente motu aliud oboriri potest, nisi toni & roboris partium solidarum defectus, humorum lentor & spissitudo, se- & excretionum plenaria suppressio, ac demum, ex omnigenis heterogeneis remanentibus partibus, insignis humorum Dyscrasia; at, nequaquam omnia hæc mala consectaria inde oriri, quis est qui negabit? unde enim sanguinis spissitudo? unde intolerabiles flatulentiæ cruciatus originem deducunt, nisi ex vitâ plane sedentariâ? & quid de *Malo hypochondriaco* dicam? quinam â vilioribus hominibus, diversissimos labores subeuntibus, illo magis, quâm literati, quieti dediti, molestantur? sed de hoc ulterius in sequentibus.

§. II.

Cum nominis disquisitio sit principium doctrinæ, ipsius examinationem, prius quam ad alia accedam, necessitas simul ac utilitas postulare videtur. *Mali hypochondriaci* itaque nomen nonnullis derivatur â vocabulo græco ὑποχόνδριον, quo nomine illa indigitatur pars corporis, quæ sub costis spuriis in latere utroque abdominis superiori, sub scrobiculo cordis, occurrit, eamque

que maxime ob causam ita denominata fuit, quia τῷ χονδρῷ, id est cartilaginibus notharum costarum, subjacet. Vi compositionis, quatenus ex ὑπὸ sub, & χόνδρος, cartilago, conflatur, notat illum sub costis, in parte anticâ, locum molliorem, qui cuilibet ad sensum patet; hinc Germani sub nomine, das Spannen und Drucken unter denen kurtzen Rippen, item, latius sumto vocabulo, die Miltz-Beschwehrung appellant.

§. III.

Explicatis nunc iis, quæ circa Onomatologiam notanda erant, statim quoque generalem mali hypochondriaci *definitionem* suppeditare lubet: Est ergo *complexus moliminum spasticorum circa V. P. & viscera huic annexa, ad imminutionem sanguinis abundantis, & resolutionem spissioris collineantium, sub quo motuum concursu tam positivæ actiones, nimirum spasticæ tractiones, pressiones, congestiones, quam passiones oppletoriæ, inflatoriæ, distensoriæ, restagnatoriæ, observantur.*

§. IV.

Incommoda ipsa, quæ sentiunt immediatè sub costis, deorsum nempe, tam sub scrobiculo cordis, quam in sinistro latere, aut utroque hoc loco conjunctim, aut inter utrumque occurrunt, ubi propterea, sedem & fundum querelarum suarum patientes non tam digito, quam totâ manu monstrant ac ostendunt. Persentiscunt vero præcipuè angustias quasdam plus minus sensibiles, aliquando jejuno ventriculo, præsertim in edacioribus, aliquando unâ altervâve præterlapsâ horâ post pastum, aliquando sub pastu, ut quoque sub appetitu vago repentinam aliquam satietatem capiant; sub qui-

quibus tamen omnibus appetitus non deficit & ſatis bonus, imo avidus eſt, interdum vagus & ad varii generis edulia directus manet, ubi inprimis frigida magis quam calida deſiderant, cibos ſiccos potumque paucum amant. Hypochondriacos denique ante vel poſt paſtum vexat multa ſputatio ad vomitum usque; item ſub & poſt paſtum anxiis ructibus expoſiti ſunt, multo frequentius autem flatibus ſtrictè dictis anguntur. Antequam autem ructus erumpunt, communiter præcordia moleſtantur anguſtiâ, tenſione, preſſione, murmuratione, ut reſpirationem liberam impediant, aut ferè ſupprimant; factâ autem eruptione ſenſibiliter melius ſe habent. Inter ſymptomata eſſentialia etiam connumerari meretur palpitatio cordis in nonnullis gradu excedens, ac hinc inde varians, ut hoc incommodum quandoque, cum reliquis urgentibus ſymptomatibus ſimul concurrat. In abdomine etiam ſœpè palpitatoriæ pulſationes, aliquando ſecundum dorſi longitudinem, aliquando in regione epigaſtricâ, inprimis ſi quædam inflationes, aut compreſſiones atque ſtricturæ, in abdomine exacerbatione quâdam urgent, ſentiuntur. Stomachus ructus nidoroſos & auſteros, nonnunquam etiam dulces propellit. Inprimis huic affectui familiariſſimum ſymptoma alvi obſtructio eſt, cujus tanta ſœpe eſt ſiccitas & pertinacia, ut (niſi clyſteres emollientes applicentur,) purgantia nil niſi anxias ac torminoſas create flatulentias. Inter hæc ſymptomata hypochondriacorum quoque non omittendus eſt ſomnus, qui ipſis non deficit, aſt evigilantes, anguſtias flatulentas & palpitationes cordis facilè percipiunt, deficiente autem

&

& turbato somno communiter statim sese malè habent. Est insuper hisce ægris valdè familiaris ac perquàm molestus quidam dolor capitis tensivus & premens, circa processus mastoideos, simulque contusorius, gravativus & vertiginosus, rarius pungens & lancinans; pulsus modo rarus, tardus, modo frequens & fortior, modo valdè debilis est. Urina modo limpida, ob majorem in illâ regione stricturam, modo copiosa, tenuis, adinstar aquæ fontanæ, modo rubicundior & parcior redditur.

§. V.

Morbo exacerbato hæc modo recensita non solum fiunt graviora, sed & plura alia pejora accedunt: Memoria debilitatur, animus pariter ac corpus perturbatur, ut patientes quandoque tristissimâ desperatione sibi ex levissimâ, non datâ, sed arreptâ occasione, dubia, suspiciones, timores, anxietates contrahant, unde, ob inquietum anxiumque animum, somnus variis phantasiis turbatur, ipsique ab omni societate, gaudio, spe, & solatio abhorrent, imò nonnunquam ipsa Melancholia hypochondriaca accedit, membra, ac si fustibus essent conquassata, dolent enervanturque, ut ferè omnes vires, omneque robur & activitas prostrata appareant. Qualia viscera in hocce affectu laborent, ex dictis facilè colligetur, sunt nempe inprimis Vena portæ, quæ propterea porta malorum non ineptè vocatur, unacum partibus connexis, ventriculo, toto intestinorum tractu, Mesenterio, Hepate, Liene & diaphragmate, quæ viscera singula certo respectu quoque per essentiam quasi in hoc affectu affliguntur; reliqua vero

D per

per consensum simul molestantur, uti sunt pectus, caput & interdum etiam aliæ corporis extremitates.

§. VI.

Subjecta itaque ad morbum nostrum disposita deprehendimus; quod inprimis vitæ sedentariæ addicti Literati sint; dein etiam Melancholici ad hoc malum proximè prædispositi atque apti existunt; sanguinei verò temperamenti homines, ex directâ suâ indole non adeò æque huic affectui expositi sunt, nisi ubi ascititiis minus convenientibus vivendi institutis occasiones propiores suppeditant. Corripit insuper etiam illos, qui appetitui largiter indulgent, sicciores dapes eligunt & parum bibere solent, nec non afficit juvenes plethoricos, narium hæmorrhagiis antehac obnoxios, aut nunc per ætatem in hæmorrhoidalia molimina propendentes.

§. VII.

Ad *causarum* mali hypochondriaci evolutionem devenientes, varias atque diversas illas in genere esse, mox deprehendimus: *Proxima* nempe & *materialis* causa sine omni dubio est Plethora cum spissitudine conjuncta, ac impeditus sanguinis progressus, qui V. P. & connexis visceribus inprimis metum imminentis stagnationis aut staseos incutit. Ne vero tale malum ita facilè admittatur, præmaturè salutari Naturæ conamine spasmi circa has regiones excitantur, ut ita sanguis transprimatur, siquidem justus ille horum spasmorum scopus est, quo sanguis turgidior & spissior per has partes promoveatur, aut etiam è congruis locis removeatur. *Causæ occasionales* perquam multæ obser-

ſervantur, præſertim autem evacuationes ſanguinis ſuppreſſæ, in ſpecie hæmorrhoidum. Eadem vivendi ratio etiam in culpa eſt, cur Literati, chartisve impallescentes, lucubrationibus profundisque meditationibus tam corporis quam animi vires profundentes, hunc in morbum celeri gradu ruant, præcipuè ſi diætâ plenâ, potu ſimul vel pauco, vel craſſiori, fruantur & curvo inflexoque corpore libris incumbant, hoc enim modo, ut cætera pravæ concoctionis vitia reticeam, inflectens ſeſe lateri ſiniſtro inteſtinum Colon, abdominis compreſſione coarctatur, & difficilem hypochondriacis alvinam excretionem haud rarò provocat. Proinde taxanda quoque eorum eſt conſuetudo, qui neque menſæ gaudiis ſua temperant ſtudia, ſed ipſas cum cibis literas devorare videntur, ſic enim & præparatio & concoctio ciborum hebeſcit. Hic etiam conſuetudines & hæreditariæ diſpoſitiones pariter referendæ erunt, nec non flatulenta inteſtinorum atonia, ſpeciatim vero animi pathemata, e. g. ira, terror, concupiſcentia, &c. Tandem quoque peculiaris ſtructura V. P. omni jure ad numerum harum cauſarum referenda eſt, quippe quæ, præ omnibus aliis in corpore humano partibus, hujus intuitu aptiſſima eſt, ad hoc malum inducendum & fovendum.

§. VIII.

Ad curam hujus affectus antequam propius accedamus, de *Prognoſi* illius breviter agemus. Succedunt ergo facilè huic malo diutius perſiſtenti febres intermittentes, quæ circumſpectâ quam maximè medendi methodo indigent; quodſi enim corpora diu-

tius afflixerit hoc malum, & ab obſtructionibus viſcerum difficulter expediendis, in ſcirrhos ac indurationes Hepatis, Lienis, Meſenterii, Pancreatis aliarumque partium, tranſierit, deploratæ ſpei morbos, inprimis conſummatam Cachexiam, Hydropem, Melancholiam ſpeculabundam, timidam & deſperabundam, Icterum, totius corporis conſumptionem ac hecticam tandem febrim inducit, lentâque ſic morte vitæ moleſtias finit; interdum verò ægrotantem opinione celerius è medio tollit. Sociatum aliis morbis hypochondriacum malum, eosdem & graviores & diuturniores efficit, & difficultatibus plurimis ſtipatum Medicorum conſilia & auxilia prorſus eludit.

§. IX.

Abſolutis ita & explicatis omnibus illis circumſtantiis, quæ pro formandâ affectus hujus theoria perfecta requirebantur, nunc denique ad *practicam* ejusdem *tractationem* devolvor. *Præſervatorio* ſcopo, remittente impetu ſanguinis, venæ ſectio convenit, ſed non alia, quam in pede adminiſtranda & circa æquinoctia, lunâ quidem decreſcente repetenda; proinde non modo ſatis capacem inciſionem facere, ſed etiam ſufficientem ſanguinis quantitatem emittere, ut ſpiſſior ſanguis brevi tempore largiter effluere poſſit, conducit. Quando ſpecialior in quibusdam ſubjectis proclivitas ad hæmorrhoides, aut conatus hæmorrhoidalis, aut ſuppreſſio & turbatio harum concurrit, tunc repetitis vicibus, præter præmiſſam venæ ſectionem, hirudines ad hæmorrhoidalia loca applicatæ multo cum effectu conducunt; inde enim eveniet,

niet, ut afflictæ V. P. tractus citius & facilius â ſanguine moleſto & ſuperfluo liberetur: nunquam tamen ejusmodi ſanguinis evacuationem pathematibus hypochondriacis in exceſſu circumvagantibus, alvo firmiter obſtructâ, & quando primas vias valdè craſſæ & copioſæ impuritates occupant, ſuſcipere convenit. Quoniam vero inſuper in præſenti hoc malo eximia ſanguinis ſpiſſitudo concurrit, hinc Medicus per convenientem potiſſimum diætam, nempe per duo illa adminicula ſatis efficacia, motum & potum, eandem quoque corrigere laboret, imprimis quidem conducunt potus ſufficiens, dilutus, juſcula liquidiora, Decocta & Infuſa calida, præcipuè decoctum herbæ Theé non valde ſaturatum, cum Cortice Citri & Cinnamom. mixtum. Præter hæc etiam conferendus eſt ſufficiens motus corporis, præprimis autem conducit qualiscunque moderata ſuccuſſatoria commotio, modeſta equitatio, quæ palmaria hypochondriacorum medicina eſt, quorſum etiam peregrinatio & vectura pertinent. Inſuper conferri quoque merentur Medicamenta ſanguinis attenuationem adjuvantia, e. g. ℞. Radic. Caryoph. Bard. Vincetox. Cichor. ana ℥iij. Hb. Veronic. Mij. Marrub. alb. Meliſſ. Cuſcut. ana mj. flor. Salv. Cheiri. ana p. ij. Sem. Fœnic. ℥iß Cortic. Citr. ℥ß. Cinamom. ʒij. Lign. Saſſaf. ℥iij. M. conc. & cont. F. Species pro Infuſo theeformi. Non minus etiam Adianthum album murarium, ſub decocto modeſtè aſſumptum, in hoc affectu convenit. Nonnulli pro eodem ſcopo acidulas temperatas laudant, quæ propterea ab ipſis *ſolatium hypochon-*

driacorum vocantur, sed circumspectè & temperanter usurpandæ sunt. Proinde superioribus commodissimè interponi potest usus temperantium & incidentium salinorum, ex ⊕o ♁iato, Arcano dupl. ♀ro ♀isato paratorum &c. tandem quoque utiliter ♂tialium ⊖iumque volatilium moderatissimus usus subjungi potest. Inter consueta symptomata occurrit quoque alvi segnities & adstrictio, quæ propterea cum internis & externis lenientibus & modestè abstergentibus corrigi debet, ubi præcipuus est usus & insignis efficacia Clysterum emollientium atque spasticos rigores delinientium: cujusmodi sunt pinguedines & olea Amygdalarum dulcium, Olivarum vitanda vero sunt talia, quæ aliquam flatulentiam causantur, unde rectius simplicia alvum lubricantia, prunata, passulata, & Rhabarbarina, cum speciebus resolventibus maritata & in forma Infusi usurpata, conveniunt: Sic etiam pro hoc scopo eximiam habent utilitatem Pilulæ Stahl. atque genuinæ Becher. correctæ. Quodsi verò reseratis obstructionibus & excussis, quæ longo tempore contractæ fuerant, molestiis, spes affulserit de plenariâ curatione obtinendâ, tunc proxima Medici cura esse debet, ut ad partes roborandas congrua quædam medicamenta ordinet. Conveniunt itaque partim moderata aromatica è Cortic. Citri, Aurantior. & Cinnamomi, partim mitiora ♂tialia, legitimo tamen tempore adhibenda e. g. Croc. ♂tis ♁iatus aperitiv. Stahl. cum absorbent. & ⊖ibus digestivis combinatus, item TRa ♂tis aperitiva Ludov., TRa ♂tis cum succo pomorum &c. ast talia remedia non nimis frequenter, sed

ſed per intervalla exhibere, potumque ſufficientem conjungere & ſimul proſpicere convenit, ne alvus occludatur, aliàs enim incaſſum omnia adhibentur.

CAPVT IV.

De Morbis Literatorum ex Somno & Vigiliis.

§. I.

QUantum diurnæ & nocturnæ lucubrationes tàm in-quàm externos ſenſus profligant, vires depaſcunt, & totam quaſi Corporis Machinam corrumpunt, tantùm profectò *ſomnus* dulciſſimos ſenſus omnes demulcet, vires refocillat, defatigatumque Corpus recreat, ut meritò *laborum omnium perfugium* nuncupari mereatur; ſed & ideò eandem quietis cum operatione viciſſitudinem literatis omninò neceſſariam credas, quia robur quaſi novum virium inde enaſcitur, ad labores ordinarios ritè ſuſtinendos neceſſarium; Sicut ex adverſo, quò parcius ſomno indulſeris, eò magis te debilitari graviſſimorumque morborum ſeriem ſuppeditari ſenties, prout non inconcinnè canit Poëta:

Et dormire bonum, & vigilare, ſed utraque, quamvis
Optima, ſi fuerint immoderata nocent.
Attenuant juvenum vigilatæ Corpora noctes,
Languidus appares, quando quiete cares.

Sed, quid eheu! in homine non facit emergendi cupiditas

ditas honoresque adipiscendi, stimulus? Quid mirum? si hoc in pacto in corporis structurâ variæ turbationes concitantur? vires supprimantur, & lentâ quasi tabe corpus exedatur? Et quis febres omnes recenseat, quibus via latissima hoc modo panditur? id unum dicere sufficiat, quod brevissima literatis admodum frequens *Ephemera*, sive diaria, facillimè tali ratione contrahatur. *Ephemera* autem ab ἐπὶ supra & ἡμέρα dies, derivata, sic vocatur, quoniam pauculis duntaxat horis, aut uno tantum die durat, nec facilè redit, nisi per accidens, ubi ex *Ephemera simplici* quandoque Ephemera plurium dierum, nempe in quartum usque diem sine interruptione durans, exsurgere consuevit. Est autem illa *species febrium continentium sanguinearum, quâ Natura sanguinis abundantiam nimiam imminuere & motibus se- & excretoriis, ultra modum auctis, in serum resolvere intendit.* Hinc *benigna* hæc *Ephemera* non eadem est cum illâ *malignâ*, quæ *sudor Anglicanus* audit, & speciem pestis cujusdam, intra 24. horarum spatium homines ad mortem trahentis, communiter exhibet.

§. II.

Ordo autem nunc jubet, ut propius ad rem ipsam me accingam illaque hac vice, quantum possibile, brevibus enarrem, quæ sæpius hoc de morbo experta sunt: Invadit hæc febris ordinariè ægros sine repentino horrore vel frigore, sed majore solum sanguinis commotione per pulsûs augmentum præcipuè se se manifestante, unde statim de insigni æstu totius corporis, dolore capitis tensivo, inflatorio, punctorio, pulsatili conqueruntur: Si ab exercitio nimio & lassitudine dependet,

det, tunc cutis est ſiccior, pulſus exiguus; Si â vigiliis, more literatorum, orta ſit, tunc decolorationem faciei, tumorem palpebrarum, earumque motum difficilem, cum caloris naturalis inæquali alteratione, pulſu exiguo & duriore obtulit; coincidit etiam virium & appetitus dejectio, & ſi ſubjecta ſunt inſigniter plethorica, adeſt inſignis artuum laſſitudo, cum doloribus lancinantibus intercurrentibus, urina interdum parum â naturali ſtatu recedit, interdum aliquo modo tincta eſt, cum rubore ſaturato, aurantiorum æmulo, roſeum deponens ſedimentum & quidem in primo ſtatim die, vigiliæ ferè ſunt continuæ, & ſi ſomnus ingruit, eſt maximè inquietus: accidit quoque moderata quædam ſiticuloſitas, & in ſubjectis voracibus, aut in quibus modo præceſſit ciborum aſſumptio, tempeſtivus vomitus ſuboritur, quem Natura ſalutari conſilio, ad materiam crudam eliminandam, ſuſcepit; denique communiter febris talis in ſudorem moderatum excurrit; aut in quibusdam ſubjectis, ſub majori incremento doloris capitis, narium hæmorrhagia ſupervenit & ita poſtea ſub levi languore febris ceſſat & deſinit.

§. III.

His ita prælibatis, ad *cauſas* hujus febris me confero, ut *Herophili* monitum obſervem, qui dicit, oportere Medicum, quæ, qualis & quanta ſit cauſa morbi, prius cognoſcere, quam de remedio cogitet. Cauſa autem materialis hujus febris eſt Plethora, & quidem per exæſtuationes corporis importuniores, nec non inebriationes, aut copioſiores vinoſorum & ſpirituoſorum ingurgitationes, æſtus ſolis & ignis, incandeſcen-

tiam animi, vigilias nimias, orgasticè commota, quæ propterea causarum mediatarum vices sustinent, quemadmodum etiam ii, qui potum frigidum corpore æstuante assumserunt, vel qui corpus sudore madidum aëri frigido liberius exposuerunt, vel quacunque aliâ ratione necessarias se- & excretiones nimium turbârunt, facillimè in similes incidunt febres.

§. IV.

Quod *Prognosin* attinet, hujus intuitu febris hæc, si modo non incongruis medicationibus vel malo regimine turbatur, periculo ordinariè caret & intra 24. horas terminatur sponte suâ, sine auxilio Medici, dum largiore sudore utplurimum absolvitur; si vero multum adest materiæ morbificæ, ex simplici facilè fit ephemera plurium dierum; sic etiam, si patiens nullo sudore molestatur, aut si quidem sudaverit, & febris tamen non ex integro desinat, (quod monstrat pulsus aliæque reliquiæ febris,) sed tempus consuetum transgreditur, tunc ephemeram simplicem in alium morbum declinare certissimum est indicium; transit autem ea, tam simplex, quam plurium dierum, vel in Synocham, vel in febrem lentam, vel hecticam, & hæc partim diætæ, partim curationis vitio adscribenda sunt. Corpus macilentum & siccum facilè hecticis dein affligitur pathematibus: Signa vero instantis hecticæ sunt, si ephemera diem excedit naturalem, si febris est uniformis, si calor intensior sit post cibos assumptos, si pulsus durus, parvus & æqualis sit, vid. FORESTUS *Lib. I. observ. 7.* in subjectis autem valdè plethoricis ephemera eò facilius in Synocham strictè sic dictam

muta-

mutatur, quemadmodum in cacochymicis Synocha putrida est metuenda, si scilicet ultra diem naturalem durat, calor augetur, urina tingitur sine coctionis signis, si malè olet, pulsusque diversitas adest, ut diastole minuatur & systole augeatur, juxta modò nominatum FORESTUM *l. c.*

§. V.

Restat denique, ut quoque delibemus *curationem* hujus febris; cumque febres simplices non sint vehementes, sed admodum mites & citò transeant, hinc auxilium Medici non facilè requiritur, sed plerumque tranquilla sufficit continentia; quodsi verò contingat, ut graviora simul exhibeant symptomata, magisque complicatæ appareant indolis, tunc primò præscribenda sunt temperantia, qualia sunt potissimum nitrosa, absorbentia, e. g. ℞. ⊕i depur. Ocul. ♋. acid. Citr. saturat. ana ʒij. ♁ii diaph. ʒj. M. Dosis ℈j. ter per diem; quibus vero pulveres non arrident, iis Julapia ordinari possunt, e. g. ℞. ▽æ Scabios. Plantag. Scorzon. Borrag. Cerasor. nigr. ana ℥ij. TRæ Rosar. Violar. ⊕lat. ana ʒiß. Syrup. rub. idæi. acetosit. Citri ana ʒiij. M. D. cochleatim, singulis bihoriis. Versus noctem vero, inprimis quando quædam imminentis sudoris indicia adsunt, præmissis præmittendis, ad promovendum sudorem, subjungantur potiones diapnoicæ. e. g. ℞. ▽æ C. B. Scord. Scorzon. ana ℥iij. ♁ii diaph. Bezoard. miner. ana ʒß. Syrup. C. B. Contrayerv. ana ℥ß. M. detur sœpius cochleatim. In ephemerâ autem plurium dierum eadem remedia, per plures dies continuanda, eodem ordine exhibeantur: finitâ febre, ad expurgandas

primas vias, lenia laxantia profunt; uti funt Pilulæ Stahlianæ, Becherianæ Rhabarb. Fol. Sennæ, Paffulæ minores &c. quippe quibus repurgatis fimul appetitus viresque reftaurantur.

§. VI.

Infuper quoque tandem, pro meliori & efficaciori Curâ, fequentes tenendæ funt *Cautelæ:* Quoniam fœpius fola quieta in lecto continentia & fufficiens potus calidus, ad diluendum fanguinem & procurandum neceffarium fudorem fufficiunt, hinc utique â frequentiori ingurgitatione potus frigidi, utpote qui excretionem fudoris in hac febre fummè falutaris impedit & actu prodeuntem fiftit, fedulò cavendum eft. Porro rejicienda funt medicamenta fudorifera & coacta regimina; item â calidis alexipharmacis abftinendum; & potius temperatiffima funt adhibenda, fummas enim anxietates, imò colliquativos fudores producunt, viamque ad hecticam facilè fternunt. In fubjectis infigniter plethoricis Venæ fectio interdum locum habet, interdum, præcipuè in fimplici ephemerâ, fupervacanea eft; obftructâ autem alvo non fine fructu Clyfteres in ufum trahuntur, abftinendum tamen eft â fortioribus commoventibus, ne febris mitior in graviorem cum damno mutetur. Fugiendus quoque eft abufus acidorum & nitroforum, ne humores incraffentur & fudor impediatur. In fubjectis difpofitis præfervatoriè Venæ fectio egregium habet ufum, femper tamen convenienti inftituatur tempore. Supereft denique adhuc regimen, quod in hâc febre lene, quietum & temperatum fit, neque convenit defideriis mulieicularum au-

res

res præbere, quæ cardiacorum remediorum uſum efflagitant, man ſoll ihnen eine Hertz-Stärckung verordnen, utpote quæ & inutilia & plane noxia interdum ſunt. Abſit anxia inquietudo, evitentur alimenta tam dyſpepta, quam eximiè nutrientia; excretiones febriles non præmaturè intercipiantur, neque vehementer urgeantur & augeantur; ceſſante demum febre ſedulò quoque illæ cauſæ, quæ ad productionem talium febrium contribuere poſſunt, evitentur.

CAPVT V.

De Morbis Literatorum ex Excretis & Retentis.

§. I.

DIxi, ut puto, ſatis fusè, quid pro conſervatione ſanitatis Literatorum, ex parte ſomni atque vigiliarum, obſervandum veniat, neceſſe ergo nunc erit, ut pauca de *Excretis* & *Retentis* attingam. Verum eſt, ex Naturæ providentiâ multiplicia in Corpore noſtro conſtructa eſſe colatoria, mediantibus quibus ab inutilibus utilia, ab impuris pura disgregentur, variisque ex locis & partibus demum abigantur & excernantur; ſed nemo inficias ibit, ſub perverſisſimè adminiſtrato hoc officio, excernenda ſœpiſſimè retineri & retinenda excerni, cum manifeſtâ ſubjecti jacturâ; Exempli in locum modò ſit *Cacochymia*, â turbato ſe- & excretionum negotio potiſſimum dependens, ex quâ dein plerumque viſcerum ob-

ſtructiones, ſcirrheſcentiæ, febres bilioſæ, tertianæ, ſimplices, aut continuæ ſubſequuntur, ut reliqua innumera alia peſſimæ indolis conſectaria taceam. Inprimis vero de neceſſariâ *excretione alvinâ* manifeſtum eſt, quod ab ejus retentione præternaturali, quæ Literatis admodum ſolennis eſt, graviſſima plerumque oboriantur mala, & ſpeciatim, quod, ſi juſtò diutius excrementa iſta retineantur, tandem, humidioribus magis magisque partibus ablatis, in duriorem maſſam degenerare, atque fatalibus alvi *obſtructionibus* anſam præbere ſoleant, quas etiam propterea præ reliquis affectibus accuratius hîc mihi tractandas ſumſi.

§. II.

Ad propoſitum itaque ut veniam, ſciendum, quod *alvi obſtructio* nihil aliud ſit, quam *excrementorum nimis tarda excretio, vel plenaria retentio, â ſegniore motu periſtaltico originem trahens.* Affectus noſtri *differentias* quod concernit, deſumimus eas vel â *gradu*, unde alia *alvi ſuppreſſio* eſt, in quâ omninò nihil egeritur, alia in quâ paucius quam par eſt egeritur, & alia in quâ excretiones raró eliminantur; vel â *parte affectâ*, quo nomine alia eſt quando inteſtina craſſa, alia, quando tenuia laborant; differt etiam ratione *eventûs*, ubi alia eſt ſalutaris, alia lethalis.

§. III.

Quàm neceſſaria ſit *ſignorum* perſcrutatio, ac quantum momenti ad felicius curandum ea afferat Medico, nemo practicorum ignorabit; imprimis vero TRALLIANVS illud inculcat, dicens: *Melius cognoſcens, melius curat.* Signa quidem obſtructionis ex ægri & adſtantium

tium relatione quidem ubertim patent, ordinis autem gratiâ adhuc aliqua recensere placet: Excrementa ultra consuetum tempus, aut ad aliquot dies, cum dolore abdominis gravativo & compressivo, qui plerumque est vagus, ac plus vel minus lancinans, retinentur; variis incommodis â flatibus, cum abdominis extensione & duritie, patientes cruciantur, pressiones circa ventriculum cum angustiâ præcordiorum, insignemque corporis lassitudinem persentiscunt; in aliis appetitus est prostratus, in aliis spirandi difficultas observatur, vertigine & dolore modo obtuso, modo magis acuto caput affligitur. Subjecta quod attinet ex his facile colligi possunt.

§. IV.

Cum omnium rerum naturalium certa quædam causa præexistat, illeque Medicus non solum prudens censendus sit, sed etiam felix, qui poterit rerum cognoscere causas; quemadmodum hoc etiam confirmat summi HIPPOCRATIS effatum *Libr. de flatibus*, inquientis: *Qui morbi causam cognoverit, is utique ex his, quæ in corpore insunt, adeptâ per contraria morborum cognitione, facilè poterit, quæ conferunt, offerre.* Causæ autem obstructionis observantur variæ, alia est *activa*, subintelligimus *stricturam* illam, quæ in quamplurimis morbis intestino recto â Naturâ inducitur e. g. in malo hypochondriaco, Nephritide, Calculo &c. alia est *passiva*, alvi â segnitie quâdam Naturæ & defectu motûs peristaltici dependens, unde scybala facilè indurantur. Dantur etiam *causæ occasionales*, quæ ad hanc obstructionem & scybalorum indurationem contribuunt,

&

& sunt sequentes: Exsiccatio & induratio v. g: ob paucitatem potûs, in febribus ardentibus post nimios sudores, post graviorem corporis motum; item vita sedentaria, quæ utplurimum duriores reddit feces, propter deficientem in motu excretionem, cum intestina minus agitentur & commoveantur, quapropter hinc inde subsistunt, & difficulter detruduntur in intestinum rectum; quies & somnus nimius multa etiam faciunt, de quibus vid. HOECHSTETTERVS *Decad. 4. Observ. p. m. 336.* Assumpta etiam quædam duriora & austera similiter plus minus indurant, ut panis crustæ & spiræ, quæ ipsæ assumptæ nimiâ copiâ, propter viscidítatem & tenuitatem suam, non rarò solent duriores dare feces, indeque etiam alvi periculosissimam obstructionem excitare. Vid. MOEBII *Instit. pag. 453.* sic res comperta est de Mespilis, item ovis ad duritiem coctis, quæ similiter insigniter solent alvum adstringere: Exemplum habet CORNARIVS in suis *Consil. Conf. 4.* ex esu quatuor ovorum ad duritiem coctorum. Pertinent hûc fructus nonnulli horræi, cum pelliculâ tenaci obducti & degluciti, quales sunt uvæ crispæ, die Stachel-Beeren, item uvæ vitis, die Weinbeeren, si scilicet comedantur unà cum pelliculis: nam hæ pelliculæ admodum reluctantur stomacho in digestione, hinc crudæ & indigestæ dilabuntur ex eodem, dumque coacervantur cum reliquis contentis in intestino colo, fit ut exinde incrassentur & inviscentur contenta, ac hinc inde in globos quasi cogantur, & pertinacissima alvi obstructio ex talium pellicularum esu nimio sequatur. Sic ab esu immoderato nucum castanea-

ſtanearum, item Ceraſorum & inprimis eorum nucleorum integrè devoratorum, conſtipationem alvi ſummam obſervârunt TIMÆVS von Güldenklee *L. 5. Caſ. 15. p. 212.* HELMONTIVS *Tr. Sextupl. digeſtio.* KERKRINGIVS *Obſerv. 6.* SCHENCKIVS *Obſ. l. 3. ſub titulo de excrem.* Porro huc referenda eſt fecum alvinarum nimia viſciditas & glutinoſitas, pertinacius parietibus inteſtinorum adhærens; unde ii, qui copioſè utuntur viſcidis alimentis, ſive talibus, quæ in pituitam excrementitiam, ſive mucum viſcoſum tranſeunt, frequentiſſimè ſolent eſſe obnoxii alvi adſtrictioni; aut, qui muco viſcido, vel acido, vel auſtero abundant, in ſpecie *pituitâ*, quam vocant *vitreâ*, alvi ſolent eſſe ſegnioris, idque eò magis, quò parcius bibunt, aut quò parcius moventur; feces enim â muco & pituitâ ſimili involutæ & coagulatæ in inteſtinis hærent, ut hæc non ſentiant ſtimulum ad eorundem excretionem.

§. V.

Affectu ſatis cognito, *Prognoſin* aggredimur, cujus intuitu obſtructio alvi multa parit incommoda, imò ſubinde pericula: præter enim ſymptomata, quæ ſub ſignis allegata ſunt, ſequentia adhuc pathemata conſpirant: In cholericis, ob bilioſæ ſaburræ retentionem, facilè accedunt colica, ardores, phlogoſes; interdum ſcybala indurata, quando venulas inteſtinorum comprimunt, & hâc ratione liberum ſanguinis in illis progreſſum ſufflaminant, inflammationem circa hæc loca cauſantur periculoſam; feces, alvo nimis obſtructâ, in inteſtino colo coacervatæ & quaſi exſiccatæ interdum decipiunt Medicos, ut tales ægros

F ha-

habeant pro ſpleneticis. Tandem omnis alvi obſtructio ſemper ſolet augere ſtomachi & capitis pathemata, & niſi in iis ſuccedat alvus, in deterius labitur ſtatus; cum aliis autem morbis complicata obſtructio alvi, hos vix non omnes exacerbat.

§. VI.

Præmiſſis præmittendis ad ipſum affectum nunc profligandum me accingo, ubi nihil fermè conducibilius inveniri poteſt, quàm potus ſufficiens dilutus, benè defecatus, quâ ratione ſcybalorum induratio optimè impeditur, vid. BARTHOLINVS *Centur. 5. Hiſtor. 40.* ubi refert pertinacem alvi obſtructionem largo vini hauſtu curatam fuiſſe, id quod in ſpecie tam hypochondriacis, quam minus laborioſis neceſſarium eſt. Motus quidem non violentus, qui potius obſtructionem auget, ſed placidus, continuus & ſucceſſivus ſit, hoc enim remedio tonus inteſtinorum naturalis reſtituitur. Non exiguum etiam ad alvum expediendam confert momentum, certo & determinato quotidie tempore huic excretioni indulgere & paululum ei inſiſtere: hoc enim incommodo per aliquot ſeptimanas ſuperato Naturam facilius obſequi obſervabitur; Sic etiam panis butyro largiter illitus eximium præſtat uſum: item conveniunt quam optimè ova ſorbilia cum butyro aſſumpta, eaque quò magis ſorbilia, eò magis ſeu plus movent alvum, emolliendo æquè ac auſteritatem corrigendo, de quo proſtat Obſ. in HOEFFERI *Hercule Medico*, quod ſcilicet ova ſorbilia aſſumpta alvum fluxilem & parvam quaſi diarrhœam in uno alterove ſubjecto produxerint. Vid. etiam BAR-

THOLI-

THOLINUS *Cent. 6. Hist. 65.* & BRASSAVOLA *de purg. cap.* 2. tempore autem vernali & autumnali congruæ purgationes, & affectu nimis obstinato Clysteres magis conducunt, quam interna laxantia, nisi illa sint temperatiora & leniora, ad quorum censum pertinent Pilulæ Stahl. Becherianæ, ♀eæ Quercet. & alia.

§. VII.

Nunc equidem ordinis ratio postularet, ut pauca quædam de altero morbo solenniori & Literatis maximè familiari, ex graviori vitio se- & excretionum potissimum oboriente, *Cacochymiâ* nempe, aut saltem huic affini *Cachexiâ* proferam & annectam; ast, cum jam jam cogniti satis sint hi ipsi affectus, simulque temporis brevitas & nimia chartæ angustia non permittant plura hunc in finem adducere, invitus sanè filum hic abrumpere simulque specialiorem, de *Morbis ex Animi affectibus* oriundis, tractationem omittere cogor, hujus tamen defectus intuitu tantò certiorem â L. B. veniam mihi polliceor, quò magis jam jam notum imò notissimum est, quod & hi ipsi affectus animi rarissimè specialiores & principaliores quosdam morbos in Literatis producant, sed communiter similes ac uniformes in his pariter, ac alius cujuslibet conditionis subjectis, excitent. Interim saltem hâc occasione Literatos quoslibet, qui diuturniori corporis sanitate gaudere volunt, seriò hortatos volo, ut studeant animum â violentis passionibus averruncare, flagrantioris amoris & otii excessum vitare, intra præfixos gaudii & tristitiæ limites se continere, animosam in timore & audaciâ observare moderationem, pessimum iracundiæ furorem

rorem refrænare, indecorum avaritiæ vitium evitare, invidiæ squalorem abstergere, vanam illam & nimis arrogantem ambitionem ex animo expellere, omneque tandem curarum melancholicarum genus, utpote malignæ prorsus naturæ, ex animo excutere, quoniam hæ impuros in corpore humores generant, mentem perturbant, totamque moralium functionum Oeconomiam prorsus invertunt, ita ut tandem sibi pariter ac aliis futura pericula struant infelicissima talia subjecta; cum ê contra certissimè & sani & plerumque etiam longævi sint illi, qui procul â curis, usuris, negotiis atque nocivis seculi tempestatibus mentem suam abstrahunt sibique solum vacant: Tales enim nec morbo ullo, quoad fieri poterit, unquam tentabuntur, nec prius facilè, nisi in grandævâ senectute tandem ad suæ vitæ ultimum pertingent terminum &

FINEM.

